



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de
Antverpiae, 1610**

18 De temporis ratione & Chronologia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96570)

de Graeca lingua, qua ipsi vsi fuere, ex quibus plane percipitur lector vera esse, quae Pighius de tripartita centone scripserat, poteritque verum historiam ordinem, authorisq; sensum, omnia concisione Cassiodori, & prava Ephiphani j versione Graecis scriptoribus diligenter lectis deprehendere.

Ceterum de authoribus ipsius Nicephorus in praefatione historiae ecclesiae qua lib. 1. cap. 1. scribitur, breuiter tractans, dubitat profecto an vera fuerint, quae scripserint, & praeterea Socratem animo fuisse minus puro tradit: ex eo quidem, quod Nauasianus fuerit, authore eode Nicephoro lib. 6. cap. 37. & lib. 9. cap. 13. & lib. 14. cap. 43. idque constare videtur ex eiusdem Socratis Historia libro 2. cap. 21. Sed & Sozomenum, atq; Socratem in quibusdam mentitos fuisse docet Gregorius Torrensis in lib. de sexta Synodo, super canonem 13. diuus Gregorius libro 6. epistoliarum, epistola 195. de historia Sozomeni ita scribit. Ipsam quoque historiam sedes Apostolica recipere recusat, quoniam multa mentitur. Haec Gregorius, qui & alias rationes adscribit, quae sunt omnino examinandae ex Graecis de rebus ecclesiasticis scriptoribus, nempe Theodorito, Socrate, & Nicephoro. Qui & ipsius Theodoriti fidem rursus demittere contendit, ex eo, quod tertiam synodum conuatus fuerit impugnaré, fueritque ea ratione proscriptus, & excommunicatus: vt idem Nicephorus tradit libro 14. cap. 24. qui cap. 30. illum maxime laudauerat.

Quem vero Iulianus Gelasius intellexerit asseuerans contradictionem Salomonis Apocrypham esse, nondum ipse intellexit, vt quidquid certi possum scribere: nam de eo libro, qui poenitentia Salomonis inscribitur, & nomine Ambrosij falso euulgatus est, fortassis quispiam conabitur Gelasium interpretari ex eo, quod Salomon, licet aliquando fuerit in gratia Dei, 3. Reg. cap. 3. & 11. ac 2. Paralip. cap. 7. tandem reprobatus fuerit, à Deique gratia ceciderit atque ideo damnatione aeterna punitus: quem admodum consentite videtur Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 81. & 88. Cyprianus lib. 1. epist. 6. Hieronymus in epist. ad Vitalem 3. epistoliarum tomo. & Ecclesiasticus cap. 47. rursus Augustinus in enarratione Psalmi 126. Chrysostomus in serm. de poenitent. Beda, Esai. cap. 2. idem Beda in libr. Regum. 1. 29. Cyrillus lib. 7. contra Iulianum. Gregorius libro 2. Moral. cap. 2. Lyranus 2. Regum cap. 7. quo in loco Burgensis à Lyrano discedit, & Hieronymus Ez. 42. & in Ecclesiaste cap. 1. asseuerat, Salomonem poenitentiam egisse. Cui suffragari videtur Ambrosius in lib. de Cain & Abel cap. 2. Quamobrem Arabores lib. 17. Theophrastus cap. 10. probare coniecturis quibusdam conatur, Salomonem aeterna damnatione minime fuisse puniunt, licet quae audiuit vitis, & criminibus adhuc sit fuerit ad tempus reprobatus. Res est tamen dubia, & in qua nihil certum adhuc ex Theologis asseuerare possumus, [Nam & alibi Ambrosius priorem opinionem sensisse videtur.]

CAPVT XVIII.

Expenditur ratio temporis, & Chronologia, quae in proemio partitarum traditur.

SVMARIA.

1. Anni solaris ex Romanorum institutione.
2. Anni ab initio mundi secundum Hebraeam veritatem, & septuaginta interpreti.
3. Anni à Actu, & vniuersali cataclysmo.
4. Anni initium quo tempore apud Hebraeos.
5. Anni à Nabuchodonosor, & Magno Philippo.
6. Anni à Alexandro Magno, & à Caesare.
7. Anni à Adam à Mahomete.

In praefatione, quae legibus huius regni Castellani adscripta est ab inuictissimo, sapientissimoq; Alfonso Rege huius nominis decimo, exacta quaedam ratio temporis obseruata fuit, vt plane omnibus foret perspicuum quo tempore praesentissimum illud septempartitum opus editum esset: ea vero vel iniuria temporum, aut scriptorum errore adeo aliena à vera ratione temporis circumsertur, vt operis pretium me facturum existimem; si de ipsius emendatione aliqua breui quadam obseruatione adnotauerim. Illud vero est praemittendum, veluti huius examinis basis, ac constitutissimum fundamentum, opus illud editum fuisse à Rege Alfonso decimo, filio Fernandi Tertii, caprum autem anno quarto iam integro ipsius principatus, & consummatum, aut perfectum anno septimo ab eius initio, atque ita principatus Regis Alfonso anno 11. quemadmodum ex ipsa praefatione constat, ex qua & hoc dubio procul deducitur Regem Alfonso regni regimen post patris mortem ac-

cepisse anno ab incarnatione Domini 1251. & post quinque decursis, & elapsis, mensibus. Nam vt ex chronicis constat. Fernandus Tertius pater Alfonso mortem obiit die Iouis Maii 30. anno à natiuitate Domini 1252. Vnde fit, vt anno Domini ab eius natiuitate 1252. vltimo die Maii, Alfonso regnare in Castella coeperit. Etenim licet in historia Regis Fernandi, & in dicta praefatione anni computati videantur ab incarnatione, quae computatio diuersa est ab ea, quae fit à natiuitate: quod & nos scripsimus lib. 1. Variar. resolut. c. 12. tamen vtranque computationem & historiae, & praefationis à natiuitate Domini ex multis intelligendam esse arbitramur. Primum ex autoritate Alfonso Burgensis Episcopi in Anacephalocis deinde ex consuetudine, quae apud Hispanos obtinuit, vt anni ab eisa natiuitate Domini conumerentur: & ex eo, quod si annus in praefatione ab incarnatione sic accipiendus: post annum quinquagesimum primum, non possunt tot dies ad diem Maii tricesimum anno sequenti adscribi, quod in eadem praefatione adscribuntur: vt ille numerus omnino conueniat computatione à natiuitate: siquidem ab initio anni 52. ad diem 30. Maii, numerantur dies centum quinquaginta duo. Ex quo & illud constat in eadem praefatione probari illam consuetudinem, qua annus natiuitatis à primo Ianuarij die computari, & signari solet. Dies vero, qui ab historicis morti, & funeri Regis Fernandi Tertii adscripti fuere iuxta numerum ex mente Maio, etiam conueniunt anno Domini 1252. à natiuitate obseruata diligenter litera, quae in illo anno Dominico diei competebat.

Ceterum in eadem praefatione asseuerat Rex Alfonso annum primum sui principatus esse, & computari ab anno mundi V. M. XXI. & diebus 137. atque hoc in loco intelligit annos Hebraeos, cum in omnibus eiusdem praefationis computationibus de Romanis annis loquatur expressim. Annus vero Romanus dubio procul constat duodecim mensibus, quibus & modo vtitur, & via est Resp. Romanorum ab Imperio Iulij Caesaris, qui imitatus Aegyptios ad certum dierum numerum solis redegit annum intercalario antiquo mensis sublato, vt vnus dies quarto quoque anno intercalaretur, qui & hodie quoque intercalatur propter vicium quinquaginta quadrantes, qui ad perfectum solis cursum post 365. dies decet auctoribus Macrobio lib. 1. Saturn. ca. 14. Plin. lib. 18. c. 25. Suetonio, & Plutarch. in Caesare. Prius etenim Romulus ex decem mensibus constituerat annum solarem. Numà vero ex duodecim: sed ratione quadam adeo cõfusa, & imperfecta vt necesse fuerit, eam à Iulio Caesare immutari: quemadmodum idem Macrobius c. 12. & 13. docet. Hoc denique anno solari via est semper Christi ecclesiae, atque totus fere ad hanc vsque diem terrarum orbis, tamen si varia fuerit apud pleraque gentes olim annorum ratio: quod scripsere Plin. li. 7. c. 49. Macrobius in d. d. lib. 1. c. 8. Alex. ab Alexandris lib. 3. diu. gen. c. 24. Anselmus lib. 2. de imagine mundi. cap. 10. ex nostris Andr. Tiraq. lib. 1. gloss. 10. Constat igitur annus hie Romanus ex 365. diebus, cum haeres. §. Strichus haeret. ff. de statu lib. eiusque initium sumitur à Calendis Ianuarijs. Sed & apud Hebraeos annus solaris erat in vsu, diuersa tamem mensium obseruatione: siquidem duodecim lunationis apud eos simul additis vndecim diebus faciunt annum solarem: qua de causa ipsi moti tertio quoque anno tredecim menses adscribunt, aut octauo quoque annos tres menses adijciunt: quia solaris annus lunarem excedit vndecim diebus & quarta parte, vt scribit Africanus apud Eusebium lib. 8. de demonstr. euangelica. ca. 2. [& Damascenus lib. 2. de fide Orth. ca. 7.] Nam & Plin. lib. 8. c. 25. in vnoquoque biennio viginti quinque lunationes adnumerat. Huius vero anni initium duplex adnotari potest ab equinoctio in qua vernali, & ab equinoctio autumnali, licet ordo mensium incipiat ab æquinoctio vernali. Exod. ca. 12. Vnde Nisan primus mensis Hebraeorum ab æquinoctio verno conuenit quandoque mensi Martio, quandoque Aprilij propter rationem lunationum, quae modo adduximas, & qua Hebraei omnino vtuntur primum mensem computantes à prima lunatione, quae sit proximior æquinoctio verno: quae quidem lector poterit obseruare ex his quae hac de re scripsere Paulus Forsempronensis, Io. Stollerinus, Ioan. Lucidus, Petrus Ciruelus Darofensis, Io. de Monte Regio, & alij de emendatione Calendarii, & de recta Paschae celebratione tractantes. Ex quibus deducitur, Hebraeos fuisse vsos anno solari duodecim mensium non minori, sed fere pari solari anno quo modo vtitur, & quo

& quo totus pene orbis vñs fuerit. Quod constat ex cap. 7. & 8. Genes. diuo August. lib. 15. de ciuit. Dei cap. 14. Iosepho lib. 1. antiquit. cap. 5. Lactantio Firmiano lib. 2. c. 13. Beda in lib. de temporib. Ioan. Driedonio lib. 3. cap. 4. in eius 4. p. 11. [Qua de re multa diligentissime tradit Benedictus Arias Montan. in apparatu ad Biblia sacra in volu. de sæculis: quem omnino legito ad annorum numerū ab initio anni constituendū.] Fortassis in hac Æra ab Adam, ex hac præfatione tollenda est dictio Hebraïcos. Nā ea non vitur in his annis adnumerandis Historia huius Regis: sed in sequenti Æra à diluuiō scribitur, *Ela Æra de los Hebraïcos del diluuiō en quatro mily trecientos y cinquenta y tres años Romanos.* Est & in hac temporum ratione obseruandum, non esse eandem annorum supputationē iuxta veritatem Hebraicam, atque eam, quæ vulgo dicitur septuaginta interpretum: sicuti compertum erit lectori ex diuo Hieronymo in Hebraïcis traditionibus super Genesim, diuo Augustin. lib. 15. de ciuitat. Dei, c. 10. & cap. 13. Driedonio in d. cap. 4. ant. capit. 5. lib. 3. Idemque vbiq̃ obseruant Eugubinus, & passim Theologi, qui de questione ista tractauerunt, sed supputationem septuaginta secuti sunt Eusebius, Origenes, Chrysofomus, Ildorus lib. 5. etymolog. cap. 39. Ad supputationem alteram iuxta veritatē Hebraicam sequitur Hieronymus, Augustinus, de ciuita. Dei, lib. 15. cap. 13. Beda. de temporib. Philon Hebræus. Dried. Ioan. Lucidus, & Nicolaus Calius Lusitanus in diligentissima veteris testamenti Chronologia. Discrimen autem hoc contingit in annuandis annis ab Adamo ad Abraham: siquidem assignanda temporis ratione post Abraham ad Iesum Christum redemptorem nostrum, parū, aut nihil distat supputatio Gregoriorum ab Hebræorum chronologia, quam vbiq̃ August. Eugubinus adnotauit, & obseruandam esse censet, ne in eum errorem incidamus, in quem incidit vniuersa Græcia & Italia, quæ Græcos, aut septuaginta interpretum editionem sequebatur, nondum ad Hebraicam veritatem Hieronymi editione vulgata & recepta, quæ nos ab hoc errore vindicauit. Igitur ab Adamo ad diluuium anni sunt mille sexcenti & quinquaginta sex iuxta veritatem Hebraicam, & codices Latinos, quibus modo vtimur, c. 5. & 6. Gen. iuxta septuaginta interpretes supputantur anni bis mille ducenti quadraginta duo. Huius numeri rationem poterit expendere lector diligens ex Hieronymo, Driedonio; & aliis, quorum modo meminimus. Ex quibus & illud constat, à diluuiō ad ortum Abraham secundum Hebræos computari annos nonaginta duos supra ducentos. ex editione vero septuaginta interpretum annos numerari mille septuaginta duos, teste Augustino li. 16. de ciuit. Dei, c. 10. qua ratione fit, vt in annorum numero ab Adamo ad ortū Abraham excedat septuaginta interpretum computatio veram ex Hebræis codicibus rationem annis fere mille trecentum sexaginta sex. Hinc sane laboritur maxima differentia inter Græcos, & Latinos, qui vulgarem septuaginta, editionē secuti sunt, atque ex alia parte grauissimos doctissimosque Theologos, qui hanc rem ex Hebræis conati fuere deducere ad veram cognitionem, in supputandis annis ab Adamo ad Christi natiuitatem. Etenim secundum Hebraicam veritatem, quamuis, qui eam sequantur, non conueniant omnino in certo annorum numero, imo differant aliquantum, paucis equidem in annis, ab Adamo ad Christum sunt anni ter mille nongenti sexaginta nouem: auctore Driedonio; qui exactissime; ac diligenter annorum numerum obseruat. Beda vero adseribit Christi natiuitatem anno ab Adamo 3952. Ioann. Lucidus anno ter millesimo nongentesimo sexagesimo, vltimo anno Olympiados centesimæ nonagesimæ quartæ. Henricus Clarcanus, & Haloader anno tertio eiusdem Olympiados. Græci autem. & qui secuti sunt septuaginta interpretes, nempe Eusebius, Origenes, Ildorus, & alii Christi natiuitatem adscribere anno ab Adamo quinquies millesimo centesimo, nonagesimonono. Vnde numerus annorum ex Græcorum supputatione maior est fere mille ducentis ab triginta annis, illo numero, qui ex veritate Hebraica deducitur. Ipse vero Eusebius in principio chronicorum, etiam si fuerit secutus septuaginta interpretes, fatetur tamen iuxta Hebraicam literā ab Adamo ad diluuium tantum supputari annos mille sexcentos, quinquaginta sex.

² Rex sane Alfonso decimus, de quo & in hoc capite agimus, in chronicis, ab Adamo ad Christi aduentū cōueniat annos quinquies mille nonaginta nouem. Apud quem

opinor ipse Codicem corruptum esse, & scribendum fore annos quinquies mille centū nonaginta nouem: eaq̃ suspitione duor, quod existimem regem sapientissimū voluisse in chronicis sequi Eusebium & alios, qui ex septuaginta interpretibus hanc temporis rationē obseruare conati sunt.

Rursus idem Rex, quod mirum est, in tabulis Astronomicis supputat ab Adamo ad Christū annos 6984. & dies 221. Ab Adamo ad diluuium annos 3882 & dies 167. Quam re Alfonso ipse parum sibi constat, cum apud eum sit tanta in sacris annis connumerandis varietas & dissenso.

Hęc tardē adduximus lōge quidē repetita, vt facilius possimus examinare rationē temporis ab Adamo ad initium principatus ipsius Regis Alfonso, qua in dicta præfatione iocē vitur est. Nam ex præmissis apparet, eā nō conuenire veritati Hebraicæ, & illi supputationi, quæ ex ea deducitur. Quod facillime poterit quis deprehendere eo, quod iuxta Hebræorum supputationem principatus Alfonso iniriū habuerit anno ab Adamo fere 5220. ex Driedonio, autē 5200. ex Beda, vel 5211. iuxta Ioannis Lucidi opinionem. Multo minus contenti Chronologia dictæ præfationis supputationi Eusebij, & aliorum, qui septuaginta interpretes sequuntur, esset enim primus annus principatus regis Alfonso ab Adamo 6490. Quod si præfationē istam velimus intelligere iuxta rationē temporis, qua idem Rex Alfonso in tabulis Astronomicis vitur, erit profecto multo maior differentia: nā ex ea computatione annus primus principatus Regis Alfonso erit 1235. Quibus omnibus obseruatis poterit in hac prima supputatione præfationis numerus verus restitui, secunduū opinionem illam, quam Regem Alfonso secutum fuisse, sit rationi magis consentaneum. Ego sane opinor, in hac præfatione Regem veritatem Hebraicam secutum fuisse, atque ideo ex Driedonij supputatione suspicor, scriptorū errore factum esse. vt bis centum anni fuerint prope omitti.

Est in eadem præfatione maximus error in Chronologia deducta à diluuiō, & vniuersali Catechismo: etenim nec euenit veritati Hebraicæ, nec Græcorū supputationi, quum secundum priorem ab Adamo ad diluuium fuerint anni mille sexcenti quinquaginta sex: secundum posteriorem bis mille ducenti quadraginta duo: & iuxta præfationem istam tantum sexcenti, sexaginta octo, quod nullus vnquam scripsit. Qua ratione iuxta veritatem Hebraicam erit in hac præfatione locus de diluuiō tempore emendandus, ita quidem, vt à diluuiō ad principatum Alfonso Regis adnumerentur ter mille quingenti, sexaginta quinque anni: si primā temporis rationē ex traditione Driedonij additis ducentis annis emendauerimus: aut paucis ab hoc numero detractis annis ex Bedæ, aut Ioa. Lucidi supputationibus. Quod si quis dixerit, Regē Alfonso secutum fuisse in hac præfatione Eusebium, & sequaces, quod falsum mihi videtur, adhuc error est in annorum numero à diluuiō ad principatum Alfonso, qui tolli tunc poterit, si numerentur à diluuiō anni quater mille ducenti & octo.

In his vero duabus supputationibus ab Adamo, & diluuiō, ex diebus, quos post annos integros addit Rex Alfonso, nisi & hoc in loco sub sit scriptorium vitium, deducitur apud Hebræos annum incipere à die 18. Augusti, quo ad rationem temporis ab Adamo considerandam. Nam ab hac die vsque ad vltimum diem Maii, qui fuit primus principatus & regni Alfonso, adnumerantur 287. dies, quorum in hac præfatione fit mentio. Eadem prope ratione constat, apud Hebræos annum quo ad diluuiū tempus describendum initium capere à die 16. Februarii: qua ad diem vltimum Maii sunt dies centum & quinque quos hoc in loco supputat Rex Alfonso.

Qua in re omnino est adnotandum, apud Hebræos duplex obseruari anni initium, quod paulo ante obiter adnotauimus: nam ante exitum Iudeorum ab Ægypto annum incipiebatur ab æquinoctio Autumnali: postea vero initium annum adsumpsit ab æquinoctio verno: nempe à luna, quæ fuit æquinoctio, vel alteri proximior erat. Quemadmodū nullo ad hoc citato auctore scribit Gulielmus Postellus in lib. de Etruria Regionis institutis, & ante ipsum adnotarunt Nicolaus Lyranus in Genesim cap. 7. idem Lyranus & Burgensis cap. 12. Id vero mihi probat Ioseph. lib. 1. antiquit. ca. 5. vbi de diluuiō transtans inquit, contigit autem hæc passio sexagesimo anno natiuitatis Noë, mēse 1. qui à Moacedomib. Dux nuncupatur, ab Hebræis autem Marachar, seu Amarijane. Sic enim in Ægypto annum cōstituerunt. Moses autem Nilam mensam.

mensis, qui est *Xanthicus*, primū in festiuitatibus definiuit, in quo ex Aegypto Hebraeos eduxit. Hic autem apud cum etiam in cunctis muneribus diuinis valde pollebat, in venditionibus autem, & emptionibus & alia gubernatione prioris saeculi decreta seruauit. Hec Iosephus. Apud quem Diuum mensē cum intelligo, qui apud nos est Nouember ex Eusebio lib. 8. *ecclēsiast. ex Græco Codice fol. 92. Anselmo lib. 2. de imagine mundi. c. 6. & Suida, qui scribit, hunc mensē esse primum apud Macedones. & constat Octobrem esse vltimū. Quod & nos obseruauimus superius ca. 14. n. 12. quo fit, vt Græcus Plutarchi Codex in Arato sit emendandus, vbi *Daglus mensis* Macedonum confertur Nouembri Atheniensium: est etenim scribendum, Dius mensis, non Delius qui Iunio respondit, non Nouembri ex eodem Suida, & Eusebio, in loco proximè citato. Quamuis idem Plutarchus in Alex. mensē, qui à Macedonibus *Lous* dicitur, & Augusto cōuenit, ex Euagrio lib. 5. cap. 9. Suida, & Demosthene in oratione de corona, vbi illum contulit *βροδρακίων* Atheniensium, cōferat in *αυγουστου*. id est Iunio. Vnde tandem Plutarchus in hac mēsum collatione ab aliis dissentiat, vel codicis sit vitium, quod magis applaudet. *Xanthicus* vero mensis apud Macedones respondet nostro Aprili ex eodē Eusebio in d. lib. 8. fol. 91. & 92. & lib. 3. c. 8. Socrate li. 5. c. 22. Euagrio lib. 4. c. 9. Anselmo in d. c. 6. ex Iosepho Græco lib. 6. cap. 31. & Latino lib. 7. de bello Iudaico. c. 12. Idemque Suidas adnotauit, Secundo equidem mensē diluuium contigisse plane probatur *Genes. c. 7. & 8.* At Iosephus secundum mensē illum fuisse asseuerat, quem Macedones Diuum appellat, quem nos Nouembrem dicimus: erat igitur tunc primus anni mensis Octobris, id est, lunatio illa quæ proximior eo tēpore fuit *Aequinoctio Autumnali*, quod licet hodie propter anticipationem contingat mense Septembris, olim tamen Octobri nostro respondebat: sicuti Ioan. Lucidus, & alii docere conantur: etiam eadem ratione docentes, olim *Aequinoctium vernum* nostro Aprili conuenisse, modo vero Martio conuenire. Hinc apertissime deducitur, Regem Alfonso in hac præfatione minime obseruasse initium anni Hebraici ab æquinoctio verno, nec ab æquinoctio Autumnali: fortassis ex eo, quod apud Hebraeos quæuis quo ad res sacras, & conuentiones, ac contractus essent certa cuiusque anni principia, tamen quo ad numerum dierum quidam anni maiores, quidam vero minores erant: & præterea propter mutationem lunationum, anticipationem æquinoctiorum, & varia mensium initia, non poterant non esse annorum primi dies incerti. Adhuc tamen potest defendi huius præfationis dierum supputatio, qua in adnumerandis annis ab Adamo, & à diluuiū vsus est sapientissimus Rex Alfonso: nisi premitamus, Regem Alfonso initium anni ab æquinoctio verno, quod Astronomis est in vsu, obseruasse, annoque constituisse paulo minores Romanis, ita quidem, vt mille & quingentis annis, dies fere quingentes superesset ex Iulii Cæsaris obseruatione. Fortassis in supputatione, que fit ab Adamo in hac præfatione, dictio illa, *Docentes*: fuit mutata à suo loco à scriptore: atque ideo erit legendum: *La Aera de Adam en cinco mille docentes y noventa y vn años Hebraicos y ochenta y siete dias.**

Subsequitur in eadem præfatione numerus annorum ab Imperio Magni Nabuchodonosor ad principatū Regis Alfonso, & connumerantur anni mille nongenti nonaginta octo, quibusdam additis diebus: & sane iuxta supputationem Driedonii adnumerantur anni mille octingenti sexaginta sex. Vnde nec in hac chronologia fuit vera temporis ratio in eadem præfatione obseruata: nam ex Eusebio Beda, Io. Lucido, & aliis minor aliquantulum annorū numerus deducitur, quam fuerit à Ioan. Driedonio supputatus. Est igitur error in hac adnumeratione ex centum & triginta annis.

Ex Philippo denique Macedonum Rege ab eodem Alfonso ratio temporis sumitur ad numerum mille quingentorum sexaginta quatuor annorū: in qua error est: nam auctoribus Eusebio, & sequacibus, Philippus regnare cepit anno 3. 104. Olympiados: aut secundum Diodorū Siculum, & Laertium, in vita Xenophontis anno 1. 105. Olympiados, regnauitque viginti sex annis. At Redemptor noster Iesus Christus natus est anno quarto centesimæ nonagesimæ quartæ Olympiados, auctore Lucido: aut anno tertio, auctoribus Eusebio, Clareauro, & Haloandro. qua ratione ab initio principatus Philippi ad Christum sunt anni fere trecentum sexaginta: & ab eodem Philippo ad Regem Alfonso

mille sexcenti, & vndecim anni. Huic errori accedit & alter, ex quo duo tantum anni adscribuntur imperio Philippi ante eius filium Alexandrum, quod est ab omnibus historicis alienum. Non me late t, in historia huius Regis Alfonso, & in historia Fernandi quarti, & Sancti iudem quart, rationem temporis ita describi, vt anni vndecim tantū tribuantur Philippo Alexand. Magni patri, qua ratione foret legendum in hac præfatione: *ila Aera de Philippo el gran Rey de Grecia en mille quinientos y tres años Romanos*

Sed & in Alexandri Magni principatu subest error in ratione temporis, que in eadem præfatione traditur: siquidē Alexander cepit regnare ante Christi aduentum anno tricentesimo tricessimo quinto, & ante principatum Alfonso Regis anno 1585. vnde Aera ab Alexandro Magnō hac in præfatione adnumerata, ex annis mille quingentis sexaginta duobus erit iuxta præscriptum numerum corrigenda. Annos vero Alexandri Magni idem Rex Alfonso in tabulis ab Octobri ex Græcorum more incipientes adnumerat

Aera vero Cæsaris ex annis mille bis centum octuaginta nouem, optime conuenit anno Domini 1251. quod & nos obseruauimus *lib. 1. Var. res. ca. 12.* atque ideo nullus subest error in hac supputatione, qua ab Aera Cæsaris in eadem præfatione fit. Aera etenim Cæsaris triginta octo annis præcedit Christi natiuitate: secundum omnes, imo ipso Rege Alfonso auctore in tabulis, additur his triginta & octo annis dies vnus. Ex quo intelliges, quam ratione in hac præfatione ab Aera Natiuitatis adnumerentur centum quinquaginta duo dies ad initium Regni Alfonso, & ab Aera Cæsaris centum & quinquaginta tantum.

Ceterum in supputatione, qua fit in eadem præfatione ab Aera Arabum, & Mahumeti, an subest error aliquis, inquirendum erit prius constituto tempore, à quo Arabum anni inceperint. Nani si Arabum initium deducitur ab anno Domini 626. quemadmodum ex Sabellico in eadem præfatione obseruauit Gregorius, error subest in computatione, quia non conueniunt anni Domini mille ducenti quinquaginta & vnus, annis Arabum sexcentum vigintinouē aut fere triginta Ego sane arbitror, nullum subesse errorem, hac in parte in dicta præfatione: quod probabitur, si constituerimus, initium Arabum anno Domini 622. ita vt annis 22. post sexcentisimum sit primus in Arabum chronologia: quod Ioan. Lucidus expressim adnotauit in chronicis. Et probatur autoritate Roderici Archiepiscopi Toletani, *lib. 3. cap. 18. & 19.* Vbi annus Arabū nonagesimus primus adscribitur anno Cæsaris 750. & annus Arabum 92. anno Cæsaris 751. & rursus annus Arabum 93. anno Cæsaris 752. Ex quibus ad veram adnumerationem deductis constat, Arabum Aera incepisse anno Dom. 622. Cui opinioni accedit historia eiusdem Regis Alfonso decimi, & Sancti eius filij, quarum c. 1. anni Arabum iuxta eandem rationem adnumerantur: sicuti in hac præfatione, in qua anni Arabum 629. denique triginta, conueniunt anno Dom. 1251. ac fere 2. Sic sane apud Roderic. Toletanum in l. 3. c. 17. dum legitur: Arabum vero 91. Aera 749. est omnino legendum, Arabum vero nonagesimo, Aera 749. Alfonso episcopus Burg. ca. 44. & Matth. Palmerius Arabum Aera adnumerant ab anno Dom. 623. Ilidorus Paten. ab anno Domini 617. Floren. ab anno 640. Anto. Beuter ab anno Do. 593.

Verum in huius Regni Castellani chronicis, in quibus similis fere huic chronologia traditur, passim diligēs lector errores in ratione temporum obseruanda deprehendet, vel scriptorum vitio aut ignorantia eorum, qui abique exactissima temporum cognitione easdem historias in publicum emisere. In omnib. etenim, quas ipse legi, huius Regni chronicis, memoria tenet, huiusmodi errata non semel obseruasse.

CAPVT XIX.

De festorum dierum apud Christianos celebratione, deque eorum origine.

SYMMARIA.

- 1 Festorum dierum celeberrima iure diuino veteris testamenti instituta sunt.
- 2 Præceptum decalogi de Sabbatis sanctificandis, partim est morale, partim ceremoniale.
- 3 Præceptum hoc, qua ex parte morale consistit, est & iuris naturalis.
- 4 Festorum obseruatio etiam est iure diuino euangelico instituta.
- 5 Qui vero dies sint à Christianis religionis causa obseruandi, ad ius Pontificium humanum pertinet.